

loqui videntur,) vera est Bachovii sententia, ex ratione ab ipso assignata; Cui adstipulatur D. Lucas Osiander, p. m. *ad d. vers. 22.* scribens: *hæc autem munera servus virgini obtulit, ut iis aditum sibi ad paranda sponsalia præpararet;* Adeo ut illa donatio sponsalitia largitas dicenda potius, quam Arrha. Secunda autem oblatio, Arrhæ nomine facta, & species Arrhæ fuisse videtur. Atq; hunc morem Hebræos semper retinuisse, ipsosq; nulla pene matrimonia absq; Arrhis contraxisse, tradit & deducit Cypræ. *d. tr. c. 11. §. 1. n. 3.* Ex quibus & similibus apparet, usum Arrharum solemnibus Romanorum mancipationibus, ex quibus Arrhas originem trahere putat Caldas, *tract. de Empt. & vend. cap. 18. num. 33. in fin.* antiquiorem esse.

XXXIII.

Nec dubitamus, quin etiam apud alias gentes hæc Arrhas dandi consuetudo fuerit observata. Quia tamen jus Romanorum civile Arrharum usum specialiter approbavit, ac multa singularia de illis constituit, ipsisq; singulares effectus attribuit, non sine ratione. Illud **Causa Efficiens hujus negotii Remota** dici poterit *arg. pr. Inst. de donat.* Approbaverunt deniq; etiam usum Arrharum jura provincialia, quibus hodie in Imperio passim utimur; & quidem vel expresse, vel tacite, ejus consuetudinem non improbando. vid. *Jus prov. Würtemb. part. 2. t. 9. §. dach wo ein Arrha. Stat. Lubecens. lib. 3. t. 6. art. 6. Hamburg. part. 2. t. 8. §. 10. &c.*

XXXIV.

Proxima ejus Causa Efficiens est paciscentium voluntas. Arrhæ enim datio est actus correlativus, qui consistit in unius oblatione & alterius acceptione. *l. 3. & 5. C. de sponsal. l. 11. § 6. ff. de act. empt. Gutierrez. tract. de Matrim. cap. 18. num. 5.* Ut igitur Arrha rite videatur data, utriusq; & dantis & accipientis voluntas ut concurrat, necesse est. *arg. l. 3. C. de Act. empt. l. 2. C. quand. liceat ab empt. reced. junct. l. 1. ff. de Pact. & arg. l. 55. ff. d. O. & A.* Hinc si quis virginis amorem & sponsalia ambiens, ipsi invitæ anulum eriperet, illumq; postea tanquam signum sponsaliorum contractuum produceret, aut recusantis digito anulum insereret, cum de-